



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. His synodis Hilarus reliquit integrum causarum iudicium, sic tamen ut majores causæ ad apostolicam sedem referendæ essent. Quod statutum est ad exemplum auctoritatis Episcopi Thessalonicensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Concil. Ancyr.
can. 17.
Concil. Antioch.
can. 16, 18.

trum decretis & canonum constitutis. In quo distinguendum est. Constat enim translationes in universum veritas esse. At si quis Episcopus ordinatus sit, non tamen receptus à populo cui præpositus est, hunc in alia civitate Episcopum fieri posse constat, modò accedat consensus Episcoporum provincialium. Et Bonifacius nihil heic objecerat Perigeni; immo, ut diximus, ad divinum beneficium retulerat contumaciam Patrensiū. Quòd si verbis Bonifacij adversus Hilaram uti liceret, dicere possemus judicij fuisse divini Hermetem à Biterrensibus in tempore non esse susceptum, & diù super præmissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret in cujus caulis suam à cunabulis transfegisset ætatem, id est, Narbonensis, cujus Archidiaconus fuerat, in ordinatorisque sui locum aliquando subrogari posset, qui fuerat Biterrensibus ordinatus. Denique Hilarus, tamenetsi Hermetem non removeat ab Ecclesia Narbonensi, adimit illi potestatem ordinandi Episcopos primæ Narbonensis, quæ ad illum pertinebat secundùm canones; diversus nimirum à Bonifacio, qui Perigenem confirmaverat in possessione omnium jurium Ecclesiæ Corinthiensis, ut colligitur ex epistola Sixti III. ad Episcopos in synodo apud Thessalonicam congregandos. Is enim cùm præfatus esset de conservandis juribus singulorum Episcoporum Illyrici, in fine comminatur Perigeni adempturum se illi potestatem provinciæ, si, ut cœperat, Anastasij Thessalonicensis Episcopi, cui Sixtus commiserat vices suas per Illyricum, imperium detrectaret. *Noverit, inquit, Corinthius Episcopus sibi licentiam potestatis liberè minime tribuendam, si huic voluerit Ecclesiæ resistere quam sibi noverit profuisse.*

Vide supra cap.
1. 4.

VII. Castigato Hermete, Hilarus statim transit ad Leontium, cui vices suas delegat pro congregatione Conciliorum generalium Diceceles Gallicanæ, valde prudenti consilio usus. Videbat enim frustra fuisse decreta decessoris sui Leonis, qui edixerat uti suis unaquæque provincia Conciliis contenta esset, nève ultrà Hilarius Arelatensis Episcopus synodos generales auderet indicere. Frustra, inquam. Etenim post epistolam Leonis diversarum provinciarum Episcopi convenerant ad ordinationem Ravennij; & Ravennius cupiens componere perturbatum Lirinensis insulæ statum, epistolam generalem scripserat ad Episcopos Gallicanos, quæ eos evocabat ad Concilium in civitate Arelatensi celebrandum, cui interfuerunt Episcopi diversarum provinciarum. Videns itaque ista Hilarus, ac sciens præterea Arela-

tenfes Episcopos privilegium illud congregandarum synodorum ad se traxisse in consequentiam mandatorum Patroclo datorum à Papa Zozimo, maluit id deinceps usurpari quasi per delegationem sedis apostolicæ, quàm ab Arelatensi Episcopo tentari propria auctoritate. Nam licet ille omnium primus eam auctoritatem Arelatensi Ecclesiæ dedisse reperitur, non tamen existimandus est ei dedisse initium, quandoquidem diù ante pontificatum ejus Hilarius & Ravennius absque delegatione speciali Romani Pontificis congregaverant synodos generales ex provinciis Gallicanis. Ergo cùm durum videretur Hilario ista fieri etiam invita sede apostolica, optimum factu judicavit si constitutionem ea de re publicam emitteret; ut cùm deinceps ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus intra Gallias congregaretur, intelligerent omnes istud fieri ex delegatione sedis apostolicæ, non propria istius auctoritate. In epistola itaque generali ad Episcopos Gallicanos scripta, quæ Edicti speciem præfert, ita loquitur: *Per annos itaque singulos, ex provinciis quibus potuerit congregari, habeatur episcopale Concilium, ita ut opportunis locis atque temporibus secundum dispositionem fratris & coepiscopi nostri Leontij, cui sollicitudinem in congregandis fratribus delegavimus, Metropolitanis per literas ejus admonitis celebretur; ut si quid usquam vel in ordinandis Episcopis, vel Presbyteris, aut cujuslibet loci Clericis faciendis, contra præcepta apostolica reperitur admissum, aut in eorum conversatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate refectetur.* Ideo autem dixit Hilarus, *ex provinciis quibus potuerit congregari*, quia providebat dissipationem Galliarum earundemque in diversa regna sectionem obstituras communicationi Episcoporum inter se. Iam enim Franci, Gotthi, Burgundiones majorem Galliarum partem ab Imperio Romano distraxerant; qui fortassis ægrè laturo erant Episcopos provinciarum suarum finibus educi, ut Arelatem se conferrent urbem Romani Imperatoris imperio subjectam, ubi miscere consilia poterant adversus novum Galliarum statum.

VIII. Integrum verò causarum judicium relinquit Hilarus istiusmodi synodo, sic tamen ut si quæpiam causa incidat quæ ob sui gravitatem provinciali nequeat examine definiri, relatio mittatur ad sedem apostolicam. *In dirimendis sanè gravioribus causis, inquit, & quæ illic non potuerint terminari, apostolicæ sedis sententia consulatur.* Constituta autem ista fuerunt ad exemplum mandatorum quæ Thessalonicensibus Episcopis data fuerant à sede apostolica, quemadmodum supra monuimus in capite xxix. cùm de Zozimi rescriptis

Vide supra
cap. 1. 4.

Fig. 1
4. f.

rescriptis agebatur. Ut vel hinc intelligere possimus plurimam lucem causæ Arelatenfis Ecclesiæ attulisse stabilitam semel auctoritatem Episcopi Theſſalonicenſis, ad cujus exemplum Arelatenſis Episcopi potestas formata est.

IX. Capite ſequenti aliud jus Arelatenſi Episcopo tribuitur, nimirum ut ſi Metropolitanus quiſpiam, propter aliquam fortassis ſimultatem, compromiſſi ſuo Episcopo peregrè profecturo dare noluerit litteras formatas, abſque quibus quemquam egredi provincia vetat, liceat Arelatenſi Episcopo cum duobus Metropolitanis provinciarum quæ contigua ſunt cuncta diſcutere, & pro cauſæ qualitate obſervanda conſtituere. Quibus verbis Arelatenſi Episcopo tribuitur potestas decernendi, cum conſilio tamen duorum Metropolitanorum.

X. Anno dein quadringenteſimo ſexageſimo tertio Hilarus Papa ſcribens ad eundem Leontium, adverſus Mamertum Episcopum Viennensẽ, qui invitis Dienſibus Episcopum conſecrare præſumpſerat, idque in parte provincie à qua eum depulerant reſcripta Leonis, renovat decretum de celebrando ſingulis annis univerſali Galliarum Concilio; jubetque ut in tali proxima ſynodo præſidens pro jure ſuo Leontius quæ ſunt acta diſcutiat, & à Mamerto rationem facti ſui ſub univerſo cœtu fraternitatis exigat, ac deinde omnium literis notitiæ Hilari iſta referat, ut ipſe quod ſancto dictante Spiritu fuerit faciendum ad comprimendos actus illicitos ordinet. Coacta ſynodus ad Hilarum plenè reſcripſit Mamertum, inſuperhabita diſiſione provincie à Leone decreta, & contempto Leontio, Dienſibus Episcopum dediffe contrà quàm ei licebat. Hunc contemptum Leontij, cujus moderationem in hac cauſa valde commendat, agrè tulit Hilarus; non ſecus ac Bonifacius, quem Illyricanos Episcopos ob Ruſi Theſſalonicenſis contemptum caſtigaffe ſuprà vidimus. Præcipit deinde Mamertum conveniri per Veranum Episcopum Lugdunenſem, eſque culpam hanc condonari, ſi pollicitus fuerit ſe nihil tale deinceps facturum. Quòd ſi in contumacia duraverit, ad Arelatenſem Eccleſiam eadem quatuor civitates revertantur quarum Mamertus non fuerat ordinatione contentus. Illius verò qui licet indebitè Dienſibus ordinatus erat Episcopus ſacerdotium relinquit arbitrio Leontij, ut ejus judicio dignitatem ſibi collatam aut retineat aut amittat. Quòd ruruſum repetit in epiſtola ad Episcopos provinciarum Viennensis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpine, quarum Episco-

Tom. II.

pi tum haud dubiè conveniebant ad ſynodum Leontij Episcopi Arelatenſis, quemadmodum eos ſuprà conveniſſe vidimus ad Concilia Hilarij.

XI. Superest ut heic agamus de cauſa Ingenui Ebredunenſis, & Auxanij Aquenſis, qui tum acriter contendebant de Eccleſiis civitatis Cemelenenſis & caſtri Nicænſis, quæ Leonis Papæ decreto unitæ erant, in quarum verò una, Nicænſi nimirum, ut opinor, Auxanius Episcopum conſtituerat cum auctoritate Papæ Hilari: ad quem cum delata propter hoc facinus fuiſſet Ingenui querela, ſtatuit ille ut cuſtoditis omnibus quæ ſuper Eccleſiis Cemelenenſis civitatis vel caſtelli Nicænſis à Leone definita fuerant, nihil Eccleſiarum juri noceret ordinatio novi Episcopi præſumpta ab Auxanio, ſed ſtatuta correctionis forma permaneret ut ad unius antiſtitis regimen prædicta loca reverterentur; ita nempe (ſic enim intelligendus omnino eſt Hilarus) ut Episcopus ille ordinaretur ab Episcopo Ebredunenſi, ad cujus metropolim pertinebat Cemelenum in provincia Alpium maritimarum ſitum. In epiſtola porro illa ait Hilarus Ingenuum Ebredunenſem Alpium maritimarum provincie Metropolitanum ſemper honore ſubnixum fuiſſe. Vnde colligunt viri docti non jure egiſſe Hilarium Arelatenſem, qui Armenitarium è cathedra Ebredunenſi deturbavit ea etiam de cauſa quòd abſque ejus auctoritate, qui Metropolitanus erat, ſe ordinari conſenſerat. Veruntamen metropolitana illa Hilarij Arelatenſis auctoritas non impediabat quin Ebredunenſis etiam Episcopus eſſet Metropolitanus, jurèque metropolitanico uteretur in provincia Alpium maritimarum, excepto tamen ordinationum jure, quòd ad ſe revocabat Hilarius tanquam ad primum Galliarum Metropolitanum. Quòd ſi omnium per Gallias Episcoporum ordinationes ad ſe pertinere debere putabat Hilarius, planum eſt potiori jure contendiſſe cum ejus auctoritate ordinari debuiſſe Metropolitanos, qui alium ſuper ſe Episcopum non habebant, qui eorum electionem examineret, quàm Metropolitanum Arelatenſem. Quamquam ſi quis heic vellet movere controverſiam, poſſet non infulſè affirmare eum non eſſe verborum Leonis ſenſum qui prima fronte occurrit, ſed explicanda ea eſſe ſecundum jus quòd ex decreto ejuſdem Leonis Theſſalonicenſi Episcopo competeſcit in ordinationibus Episcoporum Illyricianorum; nimirum ſic Hilarium ordinationes ſibi omnium per Gallias ſacerdotum vindicaſſe, ut non antè ordinari poſſent quàm de electione eorum relatio ad eum facta fuiſſet à Me-

Vide Marconin
lib. de Primat.
ſ. 73.

O